

2729

H O M I L E T I C I

2730

intelligendum hic censeam, *Dialogus* tamen noster inter Opera ejus haecenus vulgata non habetur. Neque vero is in declaranda solum Creatione versatur, sed totam humanae reparationis *ὁκονομίας* explicat, modoque tractationis *Elucidarium* illum refert, de quo dixi ad *Cod. CCCL.*

VIII. fol. 53. *Sententię diuersorum.* Ita: *In uita electorum mala precedunt, ut bona sequantur &c. Maxime in locum Eccl. c. 3. de Temporibus. Item de tribus generibus Vanitatum, et in illud Psal. 15. Multiplicatae sunt infirmitates eorum &c.* uti et explanationes aliorum Scripturae locorum. Atque haecenus Membranae Sec. XII. Deinceps Charta Sec. XV.

IX. fol. 1. *Speculum minus editum pro fidelium instructione.* Incipit: *Non est possibile quidem, ut quispiam anime salutem consequatur, nisi et presentem mundum et gloriam ipsius contempserit &c.*

X. fol. 4. *Alterum speculum maius.* Incipit: *Dilectissimi cum simus in via huius miserabilis ac perituri mundi. atque dies nostri transeant velut umbra &c.* Utroque hoc Opusculo caducorum contemptus et cura salutis pie urgetur; difficile tamen est in tanto Speculatorum ejus aevi numero Autorem dispicere.

XI. fol. 14. Opusculum, quod in Praeloquio dicitur *Funiculus triplex*, quem sic definit Autor: *Funiculus hic est uita sancta ex fide uiua spe et caritate in homine obseruata.* Ita Tractatio de tribus Virtutibus theologicis, hoc ini-

Denis *Codd. Theol. V. I. P. III:*

tio: *Cum animaduertentem quam plurimos homines in peccatis mergi &c.* Ad marginem adjecit secunda manus: *Creditur funiculus fidei Jo. huss esse.* Ad quam opinionem firmandam in Opusculi decursu nihil peculiare, ni velis illud: *Aliud est credere deum, aliud credere in deum, aliud credere deo &c.* quod in scriptis suis non semel *Hussum* repetere memini. Ceterum inter ejus Opera *Funiculum* a nemine censeris video.

DCCLIV.

Codex membraneus lat. Sec. 364
XIII. Folior. 112. f. nitide exaratus, rubricisque distinctus complectitur *Odonis* jam *Cod. CCCXLVI.* memorati primum *Belliprati*, dein *Morimundi* in *Dioec. Lingon.* Abbatis O. Cisterc. anno 1161. uivis erepti *Sermones*, de quibus quaedam *Prologi* audire iuvat. *Ut in nouo opere ueteris recordemur exempli — Hec dicta sunt, ut subsequens opus et paruum humileque fateamur. et utile non negemus. Multos tamen ad hoc habendum auctoris dilectio incitat. quia proprium est diligentis dilecti facta uel dicta uenerari et amare propensius ideoque studiosius recollere. Venerabilis enim uiri domni odonis Morimundensis abbatis ingenio et eruditione clarissimi eloquio facundi sequens series expositiones quasdam patefaciet. et sermones quos uel regulari more in capitulo habuit. uel seorsum quibusdam disseruit. uel aperuit querentibus. Que omnia si proprio excepisset stilo forent profecto*

P

festo

2731

C O D I C E S

2732

*fecto et perfectiora sensu. et eloquio culciora. Quod quia minime factum. grandem estimantes iacturam tanti uiri dicta perire. prout licuit non prout oportuit. collegimus. ordinauimus. descripsimus. Et quoniam a diuersis excepta erant. ad unam redigimus dictionis formam. exceptis his quae dictauerat paucissimis tamen. quibus manum apponere presumptionem deputauimus. Sermones quoque singulos per capitula distinximus. eum imitati qui hoc in quodam fecerat. nouo quidem more sed decore non inutili. Illud satis in hoc opere molestum. quod ab aliis atque aliis aliter atque aliter habentur. dum auiditate nimia preripere festinarunt incorreptos. &c. Vides itaque a Monachis Morimundensibus Odonis discipulis haec tanquam genuina Exemplaria venditari. Prologum excipit Elenchus Sententiarum V. T. quae explanantur; de N. T. silentium, cuius tamen Expositio fol. 60. incipit. Sermo I. in illud Gen. I. 14. *Fiant Luminaria*, incipit: *Factura luminarium si tropologicè considerationis sacramentum intueamur splendidius in moribus et natura radiat animi quam in firmamento cæli &c.* Compilatio tota abrumpitur in quadruplici modo Scripturas diuinas tractandi, scilicet *historico* seu *literal*, *allegorico*, *tropologico* et *anagogico*. An multum ultra procurrat, nescio; rara enim sunt Exemplaria *ms.* neque in *Bibl. Bibl. Mss.* *Montefalconii* nisi *Cassinense* unum T. I. p. 226. alterum *Bibliothecae*, cuius nomen *Monte-**

falconio excidit, T. II. p. 1280. reperias. Aliud suggerit *Labbeus* in *Bibl. Mss.* p. 208. Neque puto aliud designari per *Sermones* in *divinam Scripturam* LVI. ab *Odone* dictatos, quos in *Coenobio Morimund.* et apud *Ferd. Ugbehum Romae* fuisse ait *Carol. de Visch Bibl. Ord. Cist.* p. 254. qui tamen, ut mihi videtur, *Odonem* et *Morimundum* male in *Lombardiam* et *Dioecesin Mediolan.* transfert.

II. fol. 108. manu Sec. XV. *Compendium Anticlaudianum editi a magistro Alano de humana natura.* *Alanus* hic est *Insulanus Flander* O. Cist. mortuus a. 1202. variis scriptis notus, inter quae ejus *Anticlaudianum* Poema versu hexametro *Libris IX.* constans, de cuius adpellatione tractat *Polyc. Leyserus Hist. Poet. et Poem. med. aevi.* p. 1016. Extat post alias Editiones in *Alani Opp.* a *Carolo de Visch* curatis *Antverp.* 1653. p. 313. f. In hunc *Anticlaudianum* Ludum rhythmicum scripsit *Adam de Basseia Canon. Insulensis* teste *J. Fr. Foppens Bibl. Belg.* T. I. p. 4. et *Radulphus de Longo Campo Anglus* O. Cist. *Commentarium*, ut post *Baleum*, *Pitseum* et *Vischium* perhibet *Tannerus Bibl. Brit.* p. 486. Nemo tamen *Epitomatoris* nostri meminit, qui incipit: *Magister Alanus peritus quondam in multis scientijs quendam auctorem compilauit, bene quatuor milium versuum uel plus, quem anticlaudianum nominauit. in quo intendit describere hominem ex natura huma-*
na

2733

H O M I L E T I C I.

2734

na et gratia dei ad summam perfectionem proficientem. Et describit humanam naturam tamquam dominam utpote que omnibus rebus seculi debet dominari. Virtutes autem describit tanquam virgines pulcherrimas, utpote que alios ad perfectionem perducant. Hunc autem tractatum nos textualiter ad compendium redigimus ut possit spiritualia sapientibus per modum hystorie recitari. Procedit ergo quasi sub simili sensu. Natura humana a deo naturata considerans corruptionem et imperfectionem suam &c. Et finit: et in regnum suum captivam duxit captiuitatem cuius regni non erit finis in secula seculorum Amen.

DCCLV.

363 Codex membraneus lat. Sec. XIV. et partim XIII. Folior. 52. f. priori parte per 2. columnas, posteriori lineis longis exaratus, rubricisque distinctus exhibet: I. Narratiunculam de Sermone *F. Jordani* habito cum malo Daemone de claritate vultus Dei, quae incipit: *Cum magister iordannus quadam die dominica transfret uillam in francia rogatus a populo fuit ut uisitare mulierem obsessam &c. Jordanum hunc Saxonem habeo Ordinis Praed. alterum a B. Dominico Magistram, de quo multa in Actis SS. T. II. Febr. ad diem 13. et in Quetifi Scriptt. Ord. T. I. p. 93. Utrobique tamen Dialogus noster desideratur.*

II. a fol. 1. Sequuntur Sermones III. ἀδελφοί. Primus de Parasceue incipit: *Respice in faciem*

christi tui. Ps. Consuetudo est quod quando pauperes et mendici. esurientes et nudi debiles et infirmi iuxta uiam sedent &c. Alter de Penitentia et remissione incipit: Qui non accipit crucem suam et sequitur me. non est me dignus. Mat. X. legitur in ueteri testamento in libro numeri. CXX. Quod cum populus israel exiret de terra egypti &c. Tertius inscriptus Tractatus de cena domini incipit: Legitur in apoc. XIX. c. quod beatus Iohannes uidit angelum stantem in sole qui clamauit uoce magna &c. Non sunt infimae notae, minime vero Primus.

III. fol. 16. Incipit Prologus in libro de uita beate elyzabet. Initium: *Cum de uita ac moribus et morte miraculisque beate elyzabeth perscrutari cepissem &c. Est haec Elisabeth Andreae II. Hung. Regis filia, Ludouici Pii Thuringiae et Hassiae Landgravii uxor, quae Marito quinquennio superstes a. 1231. uivis exemta et a Gregorio IX. a. 1235. Sanctorum Albo inserta est. Vitae illius, quam in VIII. Libros diuisam prae manibus habemus, Autor est Theodoricus, vel, ut Codex noster legit, Ditbricus O. P. Thuringus, quem non sat firma ratione a Theodorico de Apoldia ejusdem patriae, aevi et instituti distinctum cupit Quetifus in Scriptt. Ord. T. I. p. 414. qui et p. 453. locum ejus natalem Apolda Weilani appellat, fortasse, quod alicubi Apoldsweil vel Apoldsweiler legitur. Primus lucubrationes ejus etulit Henr. Canisius T. V. antiq. Leß.*

P 2

Leß.